

Capnias & bucciniatis, & tarrupia, in Thurinis collibus nō ante demetuntur quā gelauerit. Pharia gaudēt Pisa, mutina Prusina, nigro acino, intra quadriennium albescente vino. Mirum, vbique cum Sole circumagi vuā, quā ob id streptos vocatur. Et in Italia Gallicam placere, trans alpes vero Picenā. Dixit Virgilius thasias & mareotidas, & lageas: compluresq; externas, quā nō reperiuntur in Italia. Sed sunt etiamnum insignes vna non vino: ambrosiaca, duracina, sine vllis vasīs in uite seruabilis: tanta est cōtra frigora æstus tempestatesq; firmitas. Nec orthampelos indiget arbore aut palis, ipsa se sustinens: nō item dactylides digitali gracilitate. Columbinā acinosisima. Et magis purpureā cognomine bimammia, quādo nō racemos, sed vuas alias gerūt. Item tripedanea, cui nomen à mensura est. Item scripula passo acino. Et Rhetica in maritimis alpebus appellata, dissimilis laudatæ illi. Nanq; hæc breuis, conferta acino, degener vino, sed cute omnium tenuissima, nucleo quem Chium vocant, vno ac minimo, acinum prægrandem vnum alterumque habens. Est & nigra aminea, cui Syriacæ nomen imponunt. Item Hispana ignobilium probatissima. In pergulis vero serūtur escariæ appellatæ, edere acinis, albæ nigræque. Et bumaſti totidem coloribus. At nondum dictæ ægia, & rhodia, & vncialis, velut à pondere acini: Item pucina omnium nigerrima. Et coronario naturæ lusu stephanitis, acinos folijs intercurrentibus. Et quæ forenses vocātur, celeres proventu, vendibiles aspectu, portatu faciles. Contra damnatur etiam visu cinerea & rabuscula & asinſca, minus tamen caudas vulpium imitata alopecis. Alexandrina appellatur vitis circa Phalacrā breuis, ramis cubitalibus, acino nigro, sabæ magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis prædulcibus, folio paruo & rotundo, sine diuisuris. Septē his annis, in Narbonensis prouinciæ aruo inuenta est vitis vno die deflorescens: ob id tutissima: Narbonicam vocant, quā nunc tota prouincia conserit.

Insignia culture vinearum. CAP. IIII.

Catonum ille primus, triumpho & censura super cætera insignis, magis tamen etiamnum claritate literarū, præceptisq; omnium rerū expetendarum datis generi Romano, inter prima vero agrum colendi, illius aui confessione optimus ac sine æmulo agricola, pauca attigit vitium genera, quarundam ex his iam etiā nominibus abolitis. Separatim toto tractatu sententia eius indicanda est, vt in omni genere noscāmus quæ fuerint celeberrima, anno sexcētesimo vrbis, circa captas Carthaginē ac Corinthū, cū supremum is diem obiit, & quantum postea cccxxx. annis vita profecerit. Ergo de vitibus vuisq; ita perdidit, Qui locus vino optimus dicitur esse, & ostentus solibus, aminæum minusculum & geminum eugenium, beluimum minusculū conserito. Qui locus crassior aut nebulosior, aminæum maius, aut murgentinum, Apicium, Lucanum serito. Cætera vites miscella maxime

in quemuis agrum conueniunt. In lora recte conduntur. Quas suspendas duracinas, aminæas maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis hæ recte seruantur. Nec sunt vetustiora de illa re Latina linguæ præcepta: tam prope ab origine rerū sumus. Aminæam proxime dictam, Varro scantianam vocat. In nostra ætate pauca exempla consummata huius artis fuere: verū eo minus omittenda, vt noscantur etiam præmia, quæ in omni re maxime spectantur. Summā ergo adeptus est gloriam Acilius Sthenelus è plebe libertina, x. iugerum non amplius vineis excultis in Nomentano agro, atq; cccc. nummū venundatis. Magna fama & Vetuleno Aegialo perinde libertino fuit in Campania rure linternino, maiorq; etiam fauore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exilium. Sed maxima, eiusdem Stheneli opera Rhēmio Palæmoni, alias grāmatica arte celebri, i. hisce xx. annis mercato rus de nummum in eodem Nomentano, decimi lapidis ab vrbe diuerticulo. Est autem vsquequaq; nota vilitas mercis per omnia suburbana, ibi tamen maxima, quoniam & neglecta per indiligentiam prædia parauerat, ac ne in pessimis quidem elegantioris soli. Hæc aggressus excolere, nō virtute animi, sed vanitate primo, quæ nota mire in illo fuit, pastinatis de integro vineis, cura Stheneli dum agricolā imitatur, ad vix credibile miraculū perduxit, intra octauum annū cccc. nummum emptori addicta pendente vindemia. Currensq; non nemo ad spectandas vuarum in ijs vineis strues, literis eius altioribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinate: nouissime Amæo Seneca principe tū eruditionis, ac potētia quæ postremo nimia fuit super ipsum, minime vtique miratore inanium, tanto prædij eius amore captos, vt nō puderet inuiso alias et ostentaturo tradere palmam eam, emptis quadruplicato vineis illis intra decimum fere curæ annū, digna opera quæ in Cæcubis Setinisq; agris proficeret: quando & postea sæpenuero septenos culeos singula ingerat, hoc est amphoras centenas quadragenas musti dedere. Ac ne quis victā in hoc antiquitatem arbitraretur, idem Cato denos culeos redire ex iugeribus scripsit, efficacibus exemplis non maria plus temerata cōferre mercatori, non in rubrū littus Indicumue merces petitas, q̄ sedulum ruris larem. Vno antiquissima claritas Maroneo, in Thraciæ maritima parte genito, vt autor est Homerus. Neq; enim fabulosa, aut de origine varie prodita conſectamur, præterquam Aristæum primum omnium in eadem gente mel miscuisse vino, suauitate præcipua vtriusq; natura sponte prouenientis. Maroneum viciis tanto addito aquæ miscendum Homerus prodidit. Durat etiam vis in eadem terra generi, vigorque indomitus. Quippe cum Mutianus ter consul ex his qui nuperrime prodideret, sextarios singulos octonis aquæ misceri cōpererit præsens in eo tractu. Esse autem colore nigrum, odoratum, vetustate pinguescere. Et Pramnio, quod idem Homerus celebravit, etiam nunc honos durat.

Nascitur